



Im. 17.





2

PROGRAMMA
DE
VERITATIS INVENI-
ENDÆ DIFFICULTATE
IN PHYSICA ET MEDICINA,

QVO
LECTOREM BENEVOLVM,

AD
ORATIONEM SOLEMNEM,

DE
HYPOTHESIVM MEDICARVM
FALLACIA ET PERNICIE,

IPSIS NONIS DECEMBR. MDCCCX,
AUSPICANDI CAUSA HABENDAM,

INVITAT
LAVRENTIVS HEISTER, D.

ANAT. ET CHIR. PROF.

ALTORFII, LITERIS KOHLESII ACAD. TYPOGR.



Rita ac vulgaris est parcemia : *Quantillum est quod scimus, sed heu quantum quod ignoramus!* Hæc a sapientissimo doctissimoque Viro exclaimando prolata, non minus hodie sunt vera, quam fuere olim, quicquid etiam crepant imperiti de magnis Philosophiæ naturalis factis incrementis, quicquid impudenter jactent de tummo illius tactigio & perfectione, ad quæ hodie esset evecta, & quibus superbire posset tota Philosophorum turba.

Haud equidem eo inficias, multa egregia ac stupenda sane phænomena ab ingeniosissimis clarissimisque Viris in omni scientiarum genere esse observata ac scriptis publicis mandata, quæ Veteribus erant incognita, firmum tamen & immotum perstat illud: *Quantillum est quod scimus, sed heu quantum quod ignoramus!* nam quam exigua sint illa incrementa & quantum absint adhuc scientiæ nostræ à perfectionis gradu, non nisi sapientes idoneos judices agnosco: Sapientes autem, meo quidem judicio, dicendos esse existimo, non qui ex vana quadam imaginatione multa se scire putant, vel qui omnium rerum abstrusissimas causas impudenti garrulitate explicare pollicentur; sed illos, qui reapse intelligunt, quantilla sit tota humana scientia & quam ridicula sit Pseudosophorum illorum gloria, dum se scire aliquid sibi persuadent, quod tamen nesciant, dum se superbo titulo Philosophos existiment, qui ad intimos sapientiæ recessus penetraverint, cum tamen à sacris ejus pomœriis multis adhuc absint parasangis.

Concedamus, improbo multorum annorum labore Viros egregios plurimos multa & Physica & Medica collegisse phænomena, quid tunc? an propterea multò sapientiores facti sumus!

sumus? nullo modo: plura quidem scimus phænomena quàm veteres, sed in rerum essentiis & causis cognoscendis æque cœcutimus.

Nequaquam tamen improbandam, sed potius instigandam esse cenfeo Curiosorum in experimentis instituendis industriam, quoniam non solum menti suaves meditationes, sed sensibus quoque jucundissimam præbent oblectationem, spemque suppeditant non exiguam, majori acquisito experimentorum numero, ad veritatem ipsam perveniendi, atque cortice rerum devoluto, interiora quoque perlustrandi.

Non nobis jam animus est omnes examinare scientias, sed solum nonnulla, quæ Physica, ejusque vera pars Medicina [de quibus præcipue hic noster sermo] nobis subministrat phænomena, ex quibus abunde de veritate nostri constabit asserti.

Quotusquisque est, qui non summa cum admiratione & grata animi voluptate aspiciat jucundissima experimenta, quæ antlia pneumatica nobis exhibet, ad aëris naturam & necessitatem, ad vitam animalium demonstrandam? quis verò miras ejus proprietates, imprimis elasticam, ritè hucusque explicare potuit?

Quot non capta sunt experimenta ad inquirendas admirandarum magnetis proprietatum causas! verum sine ullo successu; nam quæ Cartesius aliique protulerunt, risum mehercule movent sapientibus, videnturque somnia potius ludicra, quam Philosophi tanti meditationes severæ.

Quam multa jam ab ingeniosissimis Philosophis & Mathematicis excogitata ac scripta sunt de lucis, ignis, caloris, colorumque natura, sed omnes illorum opiniones tot adhuc premuntur difficultatibus, ut nihil supra; Si postulata ipsis demas, demonstrationes paucae vel nullæ restabunt. Hæc sane cuncta veritatis inveniendæ difficultatem acculant.

Sed quid moror circa singularia, dum Universalia adhuc
plane

plane ignoramus: nam extra omne dubium positum est, ubi generalia scientiarum fundamenta ambigua, incerta, vel saltem non demonstrata sunt, nihil boni esse sperandum de specialioribus inde tanquam è fontibus deducendis.

Nullum siquidem latere arbitror, recentiores Physicos materiam & formam, vel quod aliis magis placet, materiam & motum pro principiis rerum venditare, sed quid quæso obscurius? quid minus cognitum est quam hæc ipsa? rem, ut verum elucescat, paucis examinabimus.

Quisnam claram & distinctam de materiæ essentia ideam nobis adhuc exhibere potuit, qua tamen in scholis nihil videtur facilius, nihil planius, dicendo materiam esse principium ex quo? Quicquid verò simili modo hac de re garriant, neque mihi neque me doctioribus ullo modo satisfaciunt, nam suis talibus locutionibus, obscurum semper per æque obscurum explicant, sed quid res ipsa sit, non demonstrant.

Formæ vero vel motus naturam nos latere apud omnes Philosophos, qui rationis vim explorarunt, est in confesso, nec ullus, quantum scio, adeo demens fuit, qui hac in re aliquid certum vel probabile saltem asserere ausus sit; adeo abscondita sunt hæc naturæ mysteria, hæc principiorum rerum fundamenta, ita ut sapiens quisque fateri atque exclamare cogatur: *Quantillum est quod scimus, sed heu quantum quod ignoramus!* dum enim fundamenta nihil certi præ se ferunt, quomodo fidere quis poterit eis, quæ his innituntur. En veritatis inveniendæ difficultatem.

Relictis nunc rebus physicis, transimus ad Medicinam, è qua pauca quædam delibasse capita sufficere ad assertum nostrum, quemadmodum mox è physica fecimus, confirmandum.

Quid obscurius semper fuit quam secretionis in corpore animali negotium? quot hypotheses excogitatæ sunt, quam
miserè

mifere autores se torfere, ut hoc explicarent, sed frustra hactenus fuit omnis adhibita industria, & veritas adhuc latet.

Veteres Galenici cuilibet visceri & organo secretorio peculiarem suam tribuebant facultatem, qua hepar bilem, renes urinam, ubera lac &c. fecernerent, atque sic se rem omnem exhaustisse nulli dubitabant, seque sapientes fati & doctos Philosophos credebant; si verò quæras quid hęc facultatis vocabulo velint, vel quale ens sit? Surdos quæris, nam vel altum est silentium, vel nihil solidi habent, quod respondeant.

Chemicis rem acu tetigisse putabant, atque explosis illis facultatibus de reportata à Galenicis victoria triumphum canebant; Verùm nominibus solum mutatis, nihil aliud nobis dedere.

Speciosis autem phænomenis, ad fornacem chemicam observatis decepti erant, quæ demonstrabant secretiones plurimas extra corpus fieri vel ope fermentationis, effervescentiæ, vel præcipitationis, & quemadmodum in vasis chemicis talia fieri videbant, ita & eodem modo rem se habere in vasis & visceribus corporis humani putabant: sed quantum erraverint, & quam difficulter vel prorsus non tales fermentationes, effervescentiæ & præcipitationes in corpore vivo fieri possint, jam plurimi insignes Viri abunde demonstrarunt, & dogmata hæc tanquam falsa & convicta rejecerunt.

Helmontii asseclis neque facultatis, neque chemicorum assignata nomina arridebant, eorumque in locum cuilibet visceri suum præficiant archæum seu rectorem, qui res ejus curaret & expediret; aut novum hoc nomen nihil melius nihil clarius explicuit, sed rem potius magis obscuravit.

Medici postea mathematicæ philosophiæ cultores, secretionis opus, refutatis primum & Galenicorum & Chemicorum placitis, secundum leges mathematicas explicare aggressi sunt, sic ut arbitrentur pro diversâ minimorum vasculorum, in quo

vis organo secretorio, diametro, pro fortiori vel debiliori cordis pressione, & hinc impetu sanguinis majore vel minore in organum secretorium, pro distantia à corde & situ diversis alium atque alium in hoc vel illo organo à sanguinis massa secerni posse humorem.

Hæc tamen sententia, quamvis cum ratione convenientissima, ut ab omnibus dubiis liberaretur, quam maxime esset optandum; nam eam nonnullis prorsus displicere, exemplum est recentissimum Mart. Listerus Anglus celebris (†) vir miri & paradoxi sæpius ingenii: hic magno impetu indictas Medicorum Mathematicorum hypotheses invehit easque evertere conatur, atque secretiones solum fieri sustinet chyli ex arteriis in ductus excretorios transmissione, in quibus corrumpere, atque à peculiari quadam fracedine singulis organis secretorii innata, immutaretur hic in bilem, ibi in urinam, illic in salivam, hoc loco in lac, alibi in semen &c. Ast quænam harum opinionum probabilior, doctiores facile dijudicabunt: nam vir hic vocibus putrefactionis, corruptionis, solutionis, fermentationis &c. per totum librum vel ludere, vel eas confundere nec intelligere mihi videtur.

Si certiores quis apud Autores inveniri putat sensuum explicationes, fallitur, & frustra pervolveret omnes libros, qualemcunque etiam industriam, qualemcunque laborem jam adhiberint tot virorum illustrium ingenia, formalem tamen sensuum propriorum rationem parum adhuc illustrare poterunt, sicut modum, quo videmus, nondum videamus, de auditu ratione, nihil melius audiamus, idemque de cæteris esto judicium sensibus, innumeris sane difficultatibus ac dubiis intricatis, quæ certe nihil nisi rationis imbecillitatem & hinc veri inveniendi difficultatem clamant.

Generationem tam hominis quam cæterorum animalium dum attentius consideramus, plane stupere & judicium
suspensum

(†) In *Dissert. de Humoribus nuper edita Cap. XXX.*

suspendere cogimur, quis enim potis est concipere, quomodo ex maris & fœminæ conjunctione fiat imprægnatio & tandem foetus perfectus proveniat? quam ob causam nunc mas nunc fœmella generetur? quomodo fiat unitas mentis cum corpore? qua ratione monstra & nœvi materni & quidem jam perfectionis foetus tempore oriantur? utrum foetus ex ovo an ex vermiculo fiat? aliaque similia hucusque abstrusissima, quæ profectò, tanquam optima argumenta, potentissimum creatorem & conservatorem sapientissimum non tam arguunt, quam omnino evincunt, demonstrantque.

Hinc ob rationes tam è Physica quam Medicina adductas, prudens quisque facile mihi assentiet, iisque convictus, *paucæ esse, quæ scimus, multa quæ ignoramus*, fatebitur.

Silentio jam transeo abconditum motus muscularis negotium, taceo operationes medicamentorum & venenorum obscurissimas, nihil dicam de pestilentia aliorumque morborum contagiosorum abdita natura, atque innumeris aliis, quæ summis adhuc submersa sunt tenebris, satis ex supra dictis de veritate nostræ constare sententiæ arbitror.

Hæc equidem B. L. in medium non profero, ut opprobriis afficiam has scientias, vel ut oscitantia & ignavia reos agam viros summos, qui omni conatu desudarunt in scientiis excolendis, illustrandis, novisque inventis locupletandis; absit hoc crimen! sed potius ut hac opportunitate difficultatem, inveniendæ veritatis, & rationis imbecillitatem demonstrarem, atque ut modestius de se sentiant scientiarum illarum Professores, ac denique ne sapientiæ studiosi hypothesibus, à quibus aliàs facillime seducuntur, temere fidem adhibeant; nam hypothetica Philosophia facilis est, veri indagatio molesta ac perquam difficilis.

Ut paucis me expediam, omninò mihi persuadeo, totam humanam scientiam, cum in rebus physicis, tum in medicis comprehendendi accurata rerum & morborum distinctione, atque

que experimentorum cauta observatione, prudentique observatorum applicatione, quorum si quis sedulus & circumspectus est ruspator, ille boni Philosophi & Medici nomen jure meritoque tueri potest, etiamsi principia & essentias rerum, morborumque causas abditas rarius perspiciat.

Ita, postquam Illustribus & Generosissimis almæ hujus Academiæ Altorfinæ Curatoribus, me è Belgio, in quo sedem meam per quinquennium fere, anatomes præsertim ac Chirurgiæ exercendæ gratia, fixeram, evocare, atque in locum Celeberrimi Jac. Pancr. Brunonis, ad superos evecti, surrogare, mihiq; Anatomes & Chirurgiæ publicè docendæ munus benignissime committere, placuit; id mihi præcipue negotii datum esse existimo, ut ex optimis fundamentis methodum meam docendi instituam.

Quod ut melius fiat, priusquam primas meas lectiones publicas, de usu partium hic incipiam, ad animos Philiatrorum præparandos, Oratione solenni, pro more hujus Academiæ, de *Hypothesium Medicarum fallacia & pernicie* dicturus sum, simul specimen addendo eorum, quæ Medico veritatis inveniendæ gratia observanda, ut in praxi secundum experientiæ & sanæ rationis normam procedat. Ad hanc craftino die benevole audiendam, actumque sua præsentia exornandum, RECTOREM MAGNIFICVM, PERILLVSTREM LIBERVM BARONEM, MAXIME GENEROSVM HVJVS VRBIS PRÆFECTVM, EXCELLENTISSIMOS OMNIVM ORDINVM PROFESSORES ET DOCTORES, NOBILISSIMOS AC GENERE, VIRTUTE, INGENIO ORNATISSIMOS STUDIOSES, HOSPITES AC CIVES, omni qua decet humanitate atque observantia invito.


P. P. ALTORFII D. IV. DECEMBR. MDCCX.

Handwritten blue ink scribbles and a purple circular stamp.

Handwritten blue ink numbers: V 277 and V 248.


Liber
Bibliothecæ Academicæ Halenſi
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinenſi,
TESTAMENTO DONATVS.
1729.

Handwritten blue ink number: 56.



Handwritten blue ink numbers: 25a 6069





D IN
e gr
ibus
hiru
erat
ur p
mim
e, qu
rit f
ne di
te ar
elicit,
garnu
mod
nis fi
com
Pre
crun
mea
esse p
m co
s, ac
rrim
vero
que
c falt
spon
quo
am f
a Ab
ata ef
nec
Gall
s pro
hi e
s me
ndor
, fi



2

PROGRAMMA
DE
VERITATIS INVENI-
ENDÆ DIFFICULTATE
IN PHYSICA ET MEDICINA,
QVO
LECTOREM BENEVOLOM,
AD
ORATIONEM SOLEMNEM,
DE
HYPOTHESIVM MEDICARVM
FALLACIA ET PERNICIE,
IPSIS NONIS DECEMBR. MDCCCX,
AVSPICANDI CAUSA HABENDAM,
INVITAT
LAURENTIVS HEISTER, D.
ANAT. ET CHIR. PROF.

ALTORFII, LITERIS KOHLESHI ACAD. TYPOGR.

